



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 9. Eucharistiæ desiderio monstrosa virgo sanata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

Surfus 28. modum etiam Faro Meldensis Episcopus
 Octob. populum curata cæcitate ad fidem forma-
 uit. Cùm enim sacro chrismate promiscuâ
 plebem confirmaret, adductus est, inter
 confertam multitudinem, etiam cæcus
 puer, quàm primùm chrismate vinctus est,
 lumen cæli, quod nunquam antea vide-
 rat, iucundissimè aspexit. Itaque geminum
 ex hoc sacramento fructum reportauit, in
 animo gratiam, in oculo sanitatem. Quod
 signum cùm in nostrum documentum fa-
 ctum sit, mirum est, tam multos vsque in
 seram ætatem differre huius doni susce-
 ptionem; immò aliquos tam infrequenter
 id conferre.

§. IX.

*Eucharistia desiderio monstrosa virgo
 sanata.*

Plura, ex huiusmodi corporum defor-
 mitate, aut vitijs, commoda prouenisse,
 etiam in SS. Eucharistiæ laudes, ostendunt
 qui peruigiles libros lutubrauerunt. Inter
 quos Ioannes Nider pius pariter & perere-
 ditus scriptor refert, paulo prius, quàm
 Coloniam missus esset, ad litteras addiscen-
 das, fuisse inibi, intra ciuitatem, duas in-
 signes virgines, eadem matre & mente na-

Ioan. Ni-
 der, lib. 2.
 Formica-
 rij c. 7.

nas, vnanimes, in vna eademque domo de-
gentes, & sponso Christo virginitatē con-
secrantes; contentas victum tenuem ma-
nuum labore quæritare. Ita ad incuriam
vsq; corporis grassatur cura castitatis. Sed
præ omnibus epulis illis erat suaue epulum
Eucharistiæ. Harum vnã, cælestis spon-
sus primore aspectu, duriter, postea tamen
amabili euentu probauit. Cùm enim diui-
ni pabuli desiderio ingenti teneretur, at-
que ad id etiam magna animi pietate sole-
ret accedere, tanquam indigna repulsa est,
in hunc modum. In morbū cecidit, eumq;
ita grauem, ac tantopere inualescentem, vt
neruis, quibus labia & mandibulæ solent
moueri, se contrahentibus, etiam adhibito
totius corporis conatu, os diducere ad ci-
bum sumendum non posset. Enimuerò ea
erat contracti oris vis ac pertinacia, vt la-
bia, etiam liquido iusculo sumendo vel
vix, vel etiam penitus, cochleari, aut ar-
genteo instrumento non possent aperiri.
Adeò mandibula superior inferiori tena-
citer cohærebat, vt concreuisse viderentur.
Erat itaque non mirabilis duntaxat, sed
etiam miserabilis virginis huius aspectus.
Siquidem arctissima conducti oris com-

pressio trucem, & dira minantem vultum efficiebat. In hunc modum affectam virginem non tam sollicitabat cibi sumendi cupiditas, quàm timor, ne sacratissimum Christi viaticum omittere cogeretur. Cuius sumendi desiderium tantò amplius crescebat, quantò se videbat morti viciniorem, quantoque credebat, illud magis necessarium ingressuræ iter æternitatis. Negabant omnes, qui eam aspexerant, fieri posse, ut sacratum hunc panem sumeret, quæ etiam coctæ gallinæ liquorem sorbere nequibat. Ut tamen satis fieret tam ardentem cupienti cuiusmodi posset, vocatus est sacerdos, qui ei de peccatis confessæ, venerabile sacramentum sub oculos exhiberet adorandum; ut, quod re ipsa atque ore sumere non poterat, saltem fide, desiderioque manducaret. Adfuit mystra, qui postquam eam à peccatis absoluit, dominicum quoque corpus, ab ea venerandum, manu dextera eleuauit. Mira vis, & eximia virtus Eucharistiæ! statim ut eam Sponsa Christi conspexit, præter omnem spem & opinionem, animaduertit sibi vires rediisse in corpus, internoque animæ instinctu impulsa, os reserauit, accepitque in omnium oculis, quæ tantis

tantis votis desideravit. Quod miraculū omnes inflammavit præsentem ad illum laudibus extollendum, qui non solum multorum ora solvit in loquelam, sed etiam labia aperuit, ad caelestem cibum capiendum.

§. X.

Virgo castitatis amore deuenustata.

Matrimonij Sacramentum venerabile est, ideoque & ipsum paulo prius ostendimus illustratum, per mœchæ monstrosam faciem, pœnitentiæque, formam iterum in integrum restitutâ. Quia tamen voluntariae virginitatis status perfectior, Deoque acceptior est, ideo Deus multos voluit potius esse non pulchros, quam non castos; quin & ipsi nonnulli pij sanctique homines deformes fieri maluerunt, ut virgines permanerent. *Soror Angela de Trinitate, Carmelitana, filia Marechalli de Brisach, cum ob formam aliâque naturæ dona a magnis proceribus in matrimonium expeteretur, faciem aqua imbutam soli exposuit, ut decus forma deperiret, & procorum oculis minus arderet. In convictu etiam nobilium fatuam se tardamque simulavit, proposito suo nulli, quâ sibi, perspecto. O quàm sapiens fuit hæc stul-*

Paulus de
Barrij in
solitud.
Hagio.
philæ. 5.
die me-
dit. 2. dis-
sert. po-
merid.